DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO.
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-quartâ Martii anni M. D CC. XXXV.

M. MICHAELE PEAGET,
Doctore Medico, Præſide.

An Aqua fluviatilis cæteris aquarum ſpeciebus ſalubrior?

I.

EST ea tum generis humani conditio, tum cæterorum animalium neceſſitas, ut non ſolidis duntaxat alimentis, ſed & fluidis uti debeant atque ſuſtentari. Hinc, cùm ſolida neceſſariò poſtulent à fluidis alimentis diſſolvi atque attenuari, mirum illud eſt, quòd fluida, quæ ſolvendis dividendiſque ſolidis ſunt dicata, non tantum videantur habere energiæ, quantum habere videntur præ fluidis ſolida. Verùm, re ad lancem trutinatâ, ſtatuimus nec fluida ſolidis corporis humani partibus, nec ſolida fluidis ſic imperare, ut hinc illinc non dicas eſſe imperium. Solida impelluntur à fluidis, fluida ſolidorum ope protruduntur. Liquida ſtrictè dicta duas liquidorum corporum ſpecies comprehendunt. Aër ambiens, quem ſpiritu ducimus, unam conſtituit liquidi ſpeciem; alteram conſtituit aqua. In eo diſcrepant à ſe invicem, quòd aër ex ſe liquidus quidem, at non humidus; aqua verò humida liquidaque ſit. Aquæ naturam vis explorare? Rem aggredieris ſatis difficilem. Duas præſertim Philoſophorum ſententias afferemus, quarum utram mavis, elige. Statuunt nonnulli in eo poſitam eſſe aquæ naturam, ut ejus moleculæ acuminatæ ſint & rigidæ, undè in corporum poros dùm incurrunt, facilè ingrediuntur. Argumentum ex eo petunt, quòd balneorum aqua cutis meatus tranſgrediatur & cum ſanguine miſceatur, cujus moles & fluiditas hâc arte augentur. Aſſerunt alii aquæ moleculas in acumen quidem hinc inde deſinere, at eſſe flexiles anguillarum more, ac proinde ſubeundis corporum omnium poris magis idoneas. Quidquid ſit, cùm aquam

œconomiæ animali neceſſariam eſſe nemo non ſibi perſuaſum habeat, cùmque aqua ſit qualitate multiplex atque diverſa, hanc illamve aquæ ſpeciem cæteris anteponito. Aquam inter bibendam & corporis humani reficiendam tuendamque fabricam ea debet intercedere proportio, quæ ad ſanitatem potiſſimùm conferat. Ad ſanitatem verò eam potiſſimum conferre judica, quæ præ cæteris aquarum ſpeciebus alimenta ritè diſſolvit, facilè digerit, feliciter diſtribuit.

I I.

INTER diverſas aquarum ſpecies numerantur pluvialis, fontana, fluviatilis, lacuſtris, paluſtris, putealis, imò ſtagnans in cavâ depreſsâque terræ ſuperficie. Super his diverſi generis aquis hoc ratiocinamur modo. Aqua pluvialis, cùm à pluviâ ex aëre in terram deciduâ ſuppeditetur, veterum quidem Medicorum laudibus diù inclaruit, atque etiam nunc à quàmplurimis maximè prædicatur. Eorum tamen pace dixerimus, ea non eſt aqua pluvialis, quæ tantis encomiis ad cælum evehi mereatur. Aqua fontana, etiamſi quibuſdam præ omnibus aquæ ſpeciebus placeat, ſuo non caret incommodo. Aqua lacuſtris multò nobis eſſe videtur fontanâ deterior: aqua paluſtris vix aliquibus prodeſt, nec niſi ſitientibus æſtivo tempore, & aquæ, quam hauſerunt, pravitatem exercitio emendaturis. Aqua putealis, ſi profundus admodum ſit puteus, nec per ſe ſalubris eſt, & emendationem vix admittit. Aqua ſtagnans, ſi cuiquam poteſt non diſplicere, hunc exiſtima Bæotum in patriâ craſſoque ſub aëre naſci. Aqua fluviatilis eas habet dotes, quas nemo non miretur. Intellige igitur quid ſit fluvius, unde fluvii origo, quantum terræ decurrat ſpatium, cùm in uſum trahitur, quid ex decurſo ſatis amplo terræ ſpatio ſalubritatis colligat. Hoc facto examine, nihil potulenti deprehendes in rerum naturâ, quod ad conſervandum genus humanum majoris ſit auxilii. Aliud credis liquidum eſſe potulentum præter aquam? Eſſe quidem fatemur; at diffitemur quidquam eſſe potulentum & ſalubre, quod ſuam virtutem aquæ non debeat. Quod ſi has dotes ab aquâ fluviatili mutuetur, utpote omnium aquarum præſtantiſſimâ, adhuc longe ſalubrius evadet.

I I I.

ETIAMSI de nonnullis aquarum generibus vario Marte jamdiù diſputatum ſit, illud tamen affirmamus à diſputantibus nunquam non fuiſſe peccatum. Qui pluvialis aquæ præſtantiam cæteris palmam præripere contendebant, rationum non tam momentis, quàm ſpecie ducebantur: qui fontanam optimam eſſe defendebant, hujus naturam non ſatis eſſe rimati videntur: qui de fluviis fluviorumque bonitate non ineptè locuti ſunt, ii quidem juſtam ſibi cauſam propugnandam ſuſceperunt, licet malè defenderint. Nam à fontium, undè fluvii manaverant, excellentiâ, fluviorum bonitatem repetebant. Sed quis ſanæ mentis autumabit fluvii nomine, fontem; fontis appellatione, fluvium eſſe intelligendum? An non vel ab antiquis rerum medicarum arbitris fluvii nomine præſertim inſigniebatur ille, qui, quò longiùs à ſuo fonte diſtabat, eò propiùs ad fluvii titulum accedebat? Undè quò majus terræ ſpatium emetitur quiſque fluvius, eò fluvii nomen ſibi vindicat magis. Quæris an idcircò ſa-

lubrior, & quamobrem ? Salubriorem asserimus, quia motu suo plùs dividitur & solis, cui patet, calore plùs attenuatur. Has dotes non habet Sequana fonti suo proximus, ex quo profluit, in Burgundiâ; habet autem ad nos usque delatus, imò majores ad Rothomagi mænia. Comprobatum est experientiâ nullum esse fluvium, qui secum non vehat multiplicis generis salia, è quorum virtute fluviatilis aquæ benefica vis augetur, & œconomiæ animali præ cæteris aquis proficua. Observatum est, exhalatâ Sequanæ aquâ, salis Glauberi portionem nonnullam in vasis fundo fuisse non semel repertam, quemadmodum Regiæ Academiæ Parisiensi demonstravit hujus Scholæ Doctor Medicus Clarissimus Geoffroy; undè rectè colligitur, & ventris laxitatem provocari, & tolli viscerum infarctus atque obstructiones. Hinc nulli non aqua Sequanæ salubris esse comperitur. Quid quod Sequana salis communis portionem cùm secum rotet, quid non indè sperandum boni ? Hoc sal tum dividit, tum refrigerat alimentorumque digestionem promovet. Præterea sal volatile & oleum aquæ fluviatili inesse censemus eò majori copiâ, quòd animalia animaliumque partes in aqua fluviatili præ cæteris aquæ speciebus reperiantur. Hoc si non esset, quid, quæso, piscibus in escam cederet ? Imò pisces ipsi, seu vivos seu mortuos supponas, aquæ fluviatilis virtutem non mediocriter augent.

I V.

AQUAM cùm sit ideò creata, ut diluendis corporis animalis succis præcipuè inserviat, nullam esse putamus aquam, quæ non hoc officio aliquatenùs defungatur, modò adhibeatur cautio. Antiquis, præ cæteris arridebat aqua pluvialis. Hæc aquæ species à solis calore in athmosphæræ hanc illamve partem evecta levitatem indicat suam, inquiebant, quòd in cælum facilè tollitur; tenuitatem verò, ac proindè præstantiam arguit, quòd solis radiis sit propior, unde major hujus aquæ salubritas. Ratiocinium fallax. Nam aqua pluvialis nonnisi caloris vi quidem in altum tollitur; sed non nisi caloris plerumque defectu in terram recidit, ita ut non aliter à radiis solaribus calefiat, quàm altissimorum montium cacumina, quorum nives vix aut nunquam liquantur: Rationem quæris ? accipe. Quemadmodum montium cacumina radios solares non reflectunt, sic nec aqua in aëre pendula; hinc ejus particulæ haud satis à se' invicem radiorum interventu divisæ, coeunt, & propter molem in pluviam degenerant. Non negamus interim æstate fieri posse, ut aqua pluvialis eum habeat caloris, tenuitatis, & divisionis gradum, quem in optimâ aquæ specie exigimus. Sed cùm vel domorum tegulis, vel tubulis, vel cisternis, aliterve decidens excipiatur, ejus usum non tam tutum esse credimus, quàm aquæ fluviatilis. Aqua fontana, cùm nec per certum terræ spatium sic moveatur, ut satis divisa sit, cùmque radiis solaribus non diu objiciatur, nec proindè satis incalescat, reliquum est hanc aquæ speciem nihil sanitati præter pondus & viscerum gravitatem afferre, si hieme præsertim hauriatur. Aquæ palustris lacustrisque etiamsi solis pateant radiis, attamen cùm progressivus earum motus maximè tardetur; hinc sequitur primò eas limi terræque particulis scatere atque inquinari; deinde earum augeri motum intestinum, unde graveolentia; denique cum à motu progressivo non comminuantur, dividendis digerendisque alimentis pa-

rum esse idoneas. Aqua putealis si putei fundum transeundo præterfluit, nec aliundè puteus sit præter modum profundus, urgente necessitate potest æstivo tempore usurpari. Quòd si non suppeditetur à præterlabente in terræ visceribus rivulo, à corpore humano prorsus arceatur. Quod spectat stagna, jumentis ea, nisi siti pereuntibus nauseam movent. Constat igitur recensitas jam aquas esse aquâ fluviatili virtute inferiores.

V.

CORPUS humanum cùm diversi generis liquoribus perluatur, eam exigit aquæ speciem, quæ nec ventriculum gravet, nec intestina lædat, nec in vasorum hæreat anfractibus, sed quæ alimenta facilè subeat & dividat, quæque succum nutritium ad partes nutriendas vehat. Quid huic officio magis accommodatum, quam aqua? Quænam aquæ species magis idonea, quam fluviatilis? Est hæc enim, ventriculo levis, intestinis amica, comminuendis alimentis extrahendisque alimentorum succis præ cæteris necessaria; est hæc, quæ vel exilissima corporis vasa permeet, & per colatoria quævis secernendum transmittat succum, & excretionis secretionisque materiam è sanguinis gurgite extricet; est hæc quæ sanguinem ipsum à coalitu & densatione vindicet, quæ salia fundat, quæ partibus solidis rigiditatem nimiam auferat, mollitiem naturalem conciliet, ac proinde sanitatem conservet. Quod si quis objiciat aquam fluviatilem partibus salinis, quales suprà descripsimus abundare; an non etiam ex hoc fonte virtutem ipsi majorem tribuendam esse censuerit? At, inquiet, partes animalium excrementitiæ quoties aquæ fluviatili immerguntur, toties œconomiæ animali idcircò sunt nocituræ, quòd ab excrementis deriventur. Argumentum specie quidem pulchrum, sed rè & ratione vacuum. Nam animalium partes eorumve excrementa, si fluvii fundum petunt, fluvio multò graviora; si superficiem, leviora; si mediam aliamve fluvii partem; æqualis esse cum fluvio ponderis comperiuntur. Ex his collige oleum & sal volatile animalium ad fluvii superficiem natare, in quâ præsertim aqua hauritur, unde aquæ fluviatili major energiæ accessio. Nec curamus, utrùm hæc, quam prædicamus, fluviatilis aqua levior sit cæterarum aquarum speciebus nec ne. Nam si gravior esse supponeretur, quod falsum non semel est demonstratum, tamen ponderis incrementum hujus liquidi salubritate compensaretur.

Ergò Aqua fluviatilis cæteris aquarum speciebus salubrior.

Proponebat Parisiis, JOANNES ISOARD, Reius apud Gallo-Provinciales, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1735. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1735.